



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorvm

VD16 B 5530

Sexta Conclusio. Verba exorcismorum non habent ita infallibilem vim & efficaciam ad cogendum & arcendum Dæmones, vt semper suum effectum consequantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

tionis in nomine Dei vim in expellendis demonibus fatetur. De exorcismo autem, qui Baptismo præmittitur, scribunt sancti Patres, August. lib. 2. de nupt. & concupisc. cap. 18. & 29. & lib. 4. de Symbolo ad catechumenos, c. 1. Chrysof. in hom. de Adam & Eua, Dionys. c. 2. Ecclesiasticæ hierarchiæ. Raban. lib. 2. de institut. clericor. cap. 27. Isidor. lib. 2. de officijs Ecclesiast. cap. 20. S. Thomas 3. part. q. 71. art. 2. & 3. & alij alibi.

Sexta Conclusio. Verba exorcismorum non habent ita infallibilem vim & efficaciam ad cogendum & arcendum Demones, ut semper suum effectum consequantur.

RATIO esse potest: Quia verba & signa ex sua natura non habent talem efficaciam, sed virtute diuina. Deus autem lege ordinaria non alligauit potestatem suam ita sacramentalibus, ut infallibiliter operentur, sed operatur ad gloriam suam, & vtilitatem credentium. Matth. 17. & Marc. 9. Accesserunt discipuli ad Iesum secretò, & dixerunt: quare nos non potuimus eijcere illum? Dixit illis Iesus: Propter incredulitatem vestram, &c. & Actor. 19. Quidam de Iudæis exorcistis inuocabant super eos, qui habebant malos spiritus, nomen Domini Iesu, dicentes. Adiuro vos per Iesum, quæ
Pau-

Paulus prædicauit. Respondens autem spiritus nequam, dixit eis. Iesum noui, & Paulum scio. Vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat Dæmonium. Super hac conclusione videndus Victoria in relectione de arte magica.

Septima Conclusio. Quod exorcismi non consequantur suam vim, quandoque prouenit ex mala dispositione & defectu fidei in exorcizante, quandoq; ex praua affectione Dæmonium sustinentis.

HANC conclusionem docent Petrus Cluniacensis lib. 1. de miraculis cap. 6. & cap. 14. & 16. Doctores Mallei maleficarum. 2. part. q. 2. cap. 6. Iosephus Angles in q. de arte magica diffic. 5. dub. 5. & alij alibi. Prima pars constat ex locis Scripturæ in sexta conclusione citatis. Secunda probatur. Matth. 19. increpauit Saluator incredulitatem offerentium lunaticum: Et redditur ratio Conclusionis à Petro Cluniacensi. Tabes latente interius, vnguenta exhibita extrinsecus nihil proficere possunt. Tabes hinc dicitur peccatum mortale. Quod quàm diu in latebris conscientie latuerit, nullius exterius sacramenti perceptio effectum consequitur.

Octaua